

peliverunt potius respiciat. Sic in loco altero prior distinctio indicat vocem *ego* cum emphasi pronuntiandam esse. Posterior distinctio vocem *commovebo* emphatice pronuntiat, ut hujus sensum auditorum animis firmius imprimet. Manet itaque idem sensus eorundem verborum, licet diverso modo accentuantur; una enim tantum vox magis extollitur, quam altera, quod sensum non mutat. Quæ omnia evidentissime docent, accentus tantum esse signa lectionis, quod Frankius non agnoscit, licet ex his aliisque ejus exemplis longo ordine congestis evidenter pateat. Porro ultro sequitur, auctorem accentuum hanc sibi posuisse regulam rhetoramicam, ut voces conjungeret & distingueret, prout decora & sensui exprimendo congrua lectio jussit.

§. XXXIX.

Quod denique tabulas Diacriticæ insertas concernit, eas lectoribus codicis nihil prodesse posse ex sequentibus rationibus apparebit. 1) ex falso principio sunt constructæ, supponunt enim conjunctivos loco distinctivorum & hos illorum loco ponit. Hinc omnia sunt confusa conjunctivi cum Distinctivis & hi cum illis. Sic Distinctivi —, —, —, — &c. conjungunt in lectione codicis hebræi, quod contra intentionem Accentuatoris, qui voces his accentibus notatas in lectione distinxit. 2) Versus in Tab. Prosaica distinguuntur in duo tantum membra majora, cum plurimi prostent, qui in tria dividantur. conf. Art. dist. legendi p. 27. omnes enim versus — distinctivi commode in tria membra dispecuntur. 3) Segolta in maxima ordinarie ponitur, quod vix duobus locis probatur. Cum e contrario in sede extraordinaria vel centena exempla prostant. Regulare itaque Fr. est, quod duabus, & irregulariter, quod centum exemplis probatur, ex quo judicii deficitus apparet. 4) Conditiones, quibus hic vel ille accentus ponit dicitur, veras rationes non referunt v.g. Tiphcha servit sub Siluko, in ditione duarum vocum, quod intentioni Accentuatoris est contrarium, Tiphcha non servit, sed distinguit vel retardat lectionem, si Accentuator voluisset voces conjungere in lectione, servos habuisset. Ille voluit priorem vocem tardius pronuntiare, v. g.

Jer. VI, 14. Et non--pax:

I. Sam. XII, 21. Et non--recedetis :

Vera